

PETRI RAMI SCHOLA-
RUM MATHEMATICARUM
LIB. XIII IN PRO-
positiones quinti libri.

Definitiones quinti libri adhuc consideratae sunt, considerentur deinceps propositiones logicis multis omnibus inventis & propositae & demonstratae, & collocatae. Materies enim tota est principiorum, unde propositiones demonstrabiles confictae sunt. Sunt enim septemdecim materiae definitionum antecedentium, ut speciatim jam declaravi: Octo reliquae principia per se clara, & postulanda id eo fuerant. Campanus id vidit, definitionesque appellat modos arguendi, & ait ab Euclide postea demonstrari, idque Campano tam pulchrum visum est, ut a Theone praeteritas quarundam definitionum & propositiones & demonstrationes ipse addiderit. Quin sophisma tam crassum a mathematicis antea nonnullis reprehensum defendit, ut dicitur ad 7 p 5. Sed in Campano mirabilior etiam logica est adversus Amethum, qui sextam definitionem demonstrabat multo justiore de causa quam vel Euclides, vel Theon, vel Campanus reliquas definitiones demonstrarint. Ita Campanus in Ametho reprehendit elenchum in definitione unica, quem in toto libro cum Theone facit. Verumtamen demonstrationes ejusmodi, aut nihil demonstrant omnino, aut demonstrant (ut necesse fuit) e posterioribus. denique speciales generalibus antepositae sunt, & tamen speciales, quae specialem doctrinam nullam adferant, sed specialis tantum sint exempli: ut quod tantum generaliter percipiendum de omnibus proportionalibus erat, id proponitur per multiplex, quod similitudine technia fieri poterat per superparticulare, superpartiens, & reliqua rationum genera. Et tamen ne quis tam insolentem logicam in mathematicis admiretur, Aristoteles in prioribus analyticis effecit, qui Eudoxi condiscipuli logicam aemulatus syllogismorum in tribus figuris definitiones pari apodictica demonstravit: ut illic a nobis expositum est. Ergo haec singula in singulis propositionibus convincantur, ac praecipue in sex primis, quae singulae ternos elenchos habent insignes, quod principia proponant, quod nihil demonstrant, quod speciale anteponant generali, id est omnibus judicii generibus sophistica sunt.

1 Est e definitione tertiae compositionis nusquam tamen apud Euclidem constituta. Demonstratio autem ipsius lecta iterum & iterum relecta lectori attento & logico admirationem summam adferet, cum in ea nullum syllogisticae complexionis argumentum mathematicum reperietur. Quatuor ante libri elementorum fuerunt, definitiones in quinto libro fuerunt novemdecim: e quibus tamen propositionis hujus rationem reddere Theon nullam potuit, nullamque causam proferre, quam obrem propositio prima vera esse videatur. Proponitur, Si partes aequemultiplices
sint